

directivam legis esse separabilem a vi coactiva legis respectu aliquarum personarum, ut cap. præc. dictum est de legibus civilibus respectu clericorum, et de statu innocentiae universaliter et probabiliter aliqui sentiunt, quod, licet in eo (si durasset) futura fuissent præcepta humana obligantia, non tamen cogentia per poenas, sicut nunc etiam sæpe lex præcipit et vere obligat, licet nullam imponat poenam. Denique illi actus sunt, ut sic dicam, realiter distincti, et non habent inter se essentialem connexionem: potest ergo unus sine alio fieri. Ad efficaciam igitur legis humanæ satis est, ut regulariter utramque vim exercent, ubi specialis ratio exceptionis non intervenit: hæc autem ratio in præsentia manifesta est, quia cum legislator, vel simpliciter, vel ut exerceat illud munus, non sit subjectus sibi, non potest convenienter subdici legi suæ quoad vim coactivam: satis ergo est quod apud Deum possit et debeat timere poenam. Nihilominus, addendum est vim directivam separatam etiam a coactiva posse inducere gravem obligationem, ut ex dictis in capite præcedenti constat: et ratio est, quia obligatio proveniens ex vi directiva legis non ideo gravis est, quia habet conjunctam coactionem; nam hæc posterior est, et potius coactio gravis supponit obligationem gravem, quia ex materia, et ex fine legis præcipue nascitur: ergo si lex quoad vim coactivam ex parte materiæ et finis habet sufficiens fundamentum gravis obligationis, illam inducet, etiamsi separetur a coactione. Exemplum autem illud de religioso Episcopo quoad veritatem rei incertum est; apud illos autem auctores, qui ita sentiunt, ibi vis directiva non proprie sumitur pro legis obligatione, sed solum pro quadam decentia et honestate morali. Sed de illo puncto alibi latius.

22. *Quarta objectio.*—*An princeps obligetur civiliter ratione suæ legis.*—Ultima objectio fieri potest, quia princeps obligatur civiliter: ergo potest etiam civiliter cogi; nam hæc est efficacia obligationis civilis; ergo etiam poterit ad poenam cogi. Antecedens patet ex priori assertionem: nam princeps obligatur suis legibus civilibus; obligatio autem civilis est, quæ provenit ex lege civili, § 1 Inst., de Exceptionibus. Circa hanc difficultatem jurisperiti inter se contendunt, an princeps obligetur civiliter ratione suæ legis. Decius enim in d. c. *Sanae*, et alii propter argumentum factum id negant, atque ita facile expediunt objectionem. Felinus autem ibi n. 3 et in cap. *Ecclesia*, de Const. cum Baldo et aliis affirmat; qui consequenter

negabit ad civilem obligationem sequi necessario coactionem, nam ipsamet civilis obligatio potest esse tantum directiva. Et hæc sententia mihi placet simpliciter, quamvis possit esse æquivocatio in verbis. Ad quam tollendam adverto, quod obligatio in conscientia vocari potest interdum civilis, quia non oritur ex sola lege naturali, sed ex lege civili adjuncta, ut, verbi gratia, si ex contractu cum minori facto non acquiritur dominium ratione legis civilis, tenetur quis in conscientia rem restituere; illa vero obligatio non ex sola natura rei, sed ex civili lege, et ideo civilis dici potest: idem videre licet in præscriptionibus, et similibus. Alio modo dici potest obligatio civilis, ex qua oritur actio in civili iudicio, ut debitor cogatur solvere obligationem, quomodo sæpe dicunt juristæ, ex aliquibus stipulationibus vel aliis contractibus oriri obligationem naturalem, et non civilem.

23. Priori ergo modo sine dubio princeps obligatur civiliter, quia tenetur in conscientia stare contractui habenti vires et valorem ex adminiculo juris civilis, unde non potest ab alio auferre rem legitime præscriptam contra ipsummet juxta jus civile, etiamsi antea fuisset ipsiusmet principis. Et ratio est, quia totum hoc nascitur ex vi directiva legis, quæ in ipsum principem cadit, ut dictum est. At vero, loquendo posteriori modo, subdistingendum mihi videtur: nam si actio in iudicio tendat ad cogendum vere debitorem, sic dari non potest adversus principem, et sic dici potest non obligari civiliter. Si vero tendat solum, ut per iudicis sententiam declaretur jus creditionis adversus principem, ut juridice constet ipsum teneri ad servandum illud, nec possit sine iniustitia illud negare, sic dari etiam potest actio contra principem, ita ut in conscientia teneatur illam permittere, seu admittere. Atque in hoc etiam sensu civiliter obligatur sine coactione, per quod objectioni satisfactum est.

24. *Tertium punctum de irritatione contractus seu actionis, et ratio dubitandi.*—Superest expediendum tertium punctum de alio effectu legis, qui est irritare contractus, seu actiones. Et ratio dubii esse potest, quia hic effectus videtur poenalis, et ita sæpe inter poenas computatur a juris interpretibus: ergo sicut poena non comprehendit principem, ita neque hic effectus. Confirmatur ex l. *Ex imperfecto*, c. de Testam., ubi dicitur imperatorem jure imperii esse exemptum a solemnitatibus juris, id est (ut exponit Gloss.) quia, licet in actibus suis non observet solemnia juris, nemo sit qui

ea possit infirmare. Aliunde autem videtur oppositum colligi ex eadem l. *Ex imperfecto*, ubi etiam de imperatore dicitur, non consequi hæreditatem ex imperfecto testamento, quia, scilicet, jure civili irritum est, ergo ille effectus fit a lege, etiam respectu principis. Idem sumi potest ex c. *In causis*, de Sent. et re jud., quatenus pontifex dicit etiam in suis iudiciis servandam esse iudiciorum formam a canonicis statutam. Ratio denique est, quia hic effectus magis pertinet ad vim directivam, et est per se intentus in lege, et maxime refert ad bonum commune, ut princeps etiam in illo concordet cum toto corpore; ut, verbi gratia, quod sacerdos sit inhabilis ad matrimonium, effectus est legis ecclesiasticæ irritantis; maxime autem expedit ut illum habeat, etiam circa personam summi pontificis.

25. *Irritatio aliquando est pure poenalis et proprie; sæpius vero est effectus per se intentus ob honestatem morum reipublicæ.*—Breviter distinctione utendum censeo. Nam hic effectus aliquando est pure et proprie poenalis, quia solum in poenam fit, ut quando simoniacus per suum contractum nihil operatur, vel quando beneficiatus non facit fructus suos, quia non recitavit horas: aliquando vero, et sæpius hic effectus est per se intentus propter honestatem morum reipublicæ, ut solemnitas testamenti requiritur ad valorem ejus, ut securius servetur justitia. Priores ergo leges non comprehendunt principem propter primam rationem factam. Posteriores autem leges, per se loquendo, et nisi expresse derogentur, vel dispensentur, principem comprehendunt; et hoc probant posteriora motiva. Nihilominus tamen, quando princeps ipse facit scienter actum sine solemnitatibus juris, censetur secum ipse dispensare, et actum facere validum, juxta dictam legem *Ex imperfecto*, quod secus est de actu seu testamento ab alio facto, etiam respectu imperatoris, quia tunc non est ulla ratio dispensationis, et ideo actus est invalidus. Et ita conciliat illas duas partes Glossa ibi, et consonat optime § ult. Inst.: Quibus modis testamenta infirmantur. Quid autem necessarium sit, ut derogatio, vel dispensatio quoad hunc effectum sit valida respectu principis, infra dicemus: nam idem in hoc censendum est, quod de dispensatione in obligatione legis quoad eundem principem, de qua dispensatione in lib. 8, dicturi sumus.

26. *Fit satis rationi dubitandi.*—Ad rationem ergo dubitandi in principio positam ex dictis patet solutio: jam enim declaratum est

posse legislatorem sua lege obligari, quia fert legem ut minister Dei, cujus auctoritas in illa obligatione intervenit; et, quamvis non possit princeps obligari lege sua tanquam præcepto directe sibi imposito, potest nihilominus obligari præcepto a se lato pro tota communitate, cujus ipse est pars, quia per tale præceptum constituitur certa regula virtutis, quam ipse ex vi rationis naturalis sequi tenetur, quia ita præscriptum est ab auctore talis potestatis, ut declaratum est: unde alii dicunt quod, licet idem non possit sibi ipsi imperare, tamen idem ut minister Dei potest se ut hominem obligare lege a se lata, quia operatur per jurisdictionem aliquo modo divinam, id est, a Deo acceptam, quæ potest habere hanc efficaciam in ipsum habentem: quatenus innititur divinæ potestati, a qua manat, quod in idem redit: nam eodem modo et ex iisdem principis explicandum est.

27. *Respondetur ad legem Princeps.*—Ad legem *Princeps*, quidam moderni respondent ibi non dici principem esse solutum omnibus legibus, sed indefinite legibus, et intelligendum esse juxta rubricam legis, quæ sic habet: *Idem Ulpianus in l. 14 ad legem Juliam et Papiam.* Cum ergo ibi dicitur princeps solutus legibus, intelligendum solum est de lege Julia et Papiam, quæ dicitur fuisse de caduceis legatis, a qua solutus erat princeps, idque non jure suo, sed beneficio senatus. Hanc ego interpretationem non improbo quoad omnia quæ assumit, quia non mihi constat esse falsa omnia, ipsam vero in se non probo, tum quia nova est, et contra communem interpretationem; tum quia est parum consentanea et verbis illius legis, et aliis legibus. Probatur primo, quia illa indefinita in rigore doctrinali æquivalet universali, et conjuncta cum verb. *Solutus est* habet majorem vim, quia verbum illud *Solutus est* includit negationem, scilicet, non est subjectus legibus, et in virtute est ille terminus distributus; tum etiam quia, licet illa lex fuerit sumpta ex libro Ulpiani ad legem Juliam et Papiam, non ideo sequitur in illa sententia et verbis illius legis locutum fuisse de illa sola lege; potuit enim illud principium generale afferri occasione alterius legis, de qua tractabat. Quod declaratur accommodatissimo exemplo sumpto ex § ult. Inst.: Quibus modis testamenta infirmantur; ubi, cum dictum fuisset imperatorem non admissurum aliquid sibi relictum per testamentum non legitimum, etc., subditur: *Secundum hoc Dicit Severus et Anton. sæpiissime scripserunt; licet enim* (inquit) *legibus soluti*

*simus, attamen legibus vivimus; ubi non possunt illa verba limitari ad sola testamentum imperfecta, vel similia legata, quorum occasione ibi afferuntur, cum referantur tanquam sæpissime in rescriptis imperatorum repetita. Ita ergo potuit contingere in Ulpiani libro. Item, inde colligo sententiam illam, tanquam universalem, et non limitatam ad certam quandam legem, receptam fuisse, quandoquidem ab imperatoribus sæpissime repetebatur quacumque oblata occasione. Deinde colligo imperatorem intellexisse se esse solutum legibus, non privilegio aut beneficio senatus, sed suo jure, et ex vi supremæ potestatis suæ, et subinde sententiam illam Ulpiani intelligendam esse de supremo principe, qui ex se et sine privilegio solutus legibus esse dicitur, quod in altera parte ejusdem legis significatur, dum dicitur Augustam, licet legibus soluta non sit, utique ex vi suæ dignitatis, nihilominus beneficio principis esse solutam. Denique hoc maxime confirmant verba legis *Ex imperfecto*, c. de Testamentis: *licet lex imperii* (id est, dignitas, et suprema potestas) *solemnibus juris impera-**

torem solvit, nihil tamen tam proprium imperatori est, quam legibus vivere.

28. Vera ergo est communis interpretatio, quæ leges has intelligit de exemptione principis a vi legum coactiva, a qua non est exempta regina, seu augusta, quia simpliciter est inferior, et potest per principem cogi et puniri; tamen gaudet illo privilegio, beneficio principis propter singularem dignitatem, et conjunctionem cum principe; cum autem in proxime citatis juribus imperatores addunt: *Attamen legibus vivimus*, recognoscunt directivam obligationem legum, et ideo eas se servare profitentur: unde in l. *Ex imperfecto*, ff. de Legat. 3, sic dicitur: *Ex imperfecto testamento legata, vel fideicommissa imperatorem vindicare verecundum est, decet enim tantæ majestati ejus servare leges, quibus ipse solutus esse videtur.* Et ita intellexerunt illam legem non solum D. Thomas et theologi, sed etiam jurisperiti in principio allegati. Supererat hoc loco dicendum de mutatione legis civilis. Sed hoc commodius tractabitur infra lib. 6 generaliter de omni lege humana.

FINIS LIBRI TERTII.



INDEX CAPITUM LIBRI QUARTI

DE LEGE POSITIVA CANONICA.

- CAP. I. An sit in Ecclesia spiritualis potestas ad canonicas leges ferendas.
- CAP. II. An hæc potestas sit propria legis gratiæ.
- CAP. III. Quibus personis data fuerit, et quomodo detur nunc hæc potestas.
- CAP. IV. Possitne quivis Episcopus in sua diœcesi leges ferre, et quo jure.
- CAP. V. Alia dubia in majorem explanationem superioris doctrinæ.
- CAP. VI. Quæ communitates ecclesiasticæ habeant potestatem condendi leges.
- CAP. VII. Utrum potestas condendi leges ecclesiasticas ex moribus an fidependeat.
- CAP. VIII. Utrum potestas ecclesiastica ad leges ferendas sit excellentior civili.
- CAP. IX. Utrum potestas ecclesiastica sit ita superior civili, ut illam sibi subjectam habeat.
- CAP. X. Utrum potestas ecclesiastica ad leges ferendas possit esse in eadem cum civili.
- CAP. XI. An lex canonica habeat propriam materiam.
- CAP. XII. Utrum potestas ecclesiastica efficaciam habeat in actus mere internos.
- CAP. XIII. Utrum lex canonica possit concomitanter præcipere aut prohibere actus internos.
- CAP. XIV. Quæ sit servanda forma in legibus canonicis ferendis.
- CAP. XV. Quæ promulgatio in legibus canonicis sufficiat, ut vim obligandi habeat.
- CAP. XVI. Utrum lex canonica obliget fideles priusquam ab eis acceptetur.
- CAP. XVII. Utrum leges canonicæ obligent in conscientia.
- CAP. XVIII. Quando lex ecclesiastica obliget sub mortali culpa.
- CAP. XIX. Quas personas obligent ecclesiasticæ leges.
- CAP. XX. An leges synodales personas religiosas exemptas obligent.

